

## MARCHIA ANCONITANA.

rebus ad vitam necessarijs, affatim naturæ munere dotata. Ulterius Chienti flu, ostium sequitur, supra cuius fontes in Apennini iugo vetus & frequens munitissimum loco sita, Cameratum, Ducatus titulo nobilis. Transito Chiento amne haud procul à mari est ciuitas noua, oppidum nobilissimum ac frequens. Hinc ostium est Polentia amnis, quo transito Ricinetum occurrit, vrbs honesta, ac nundinaria, certis enim anni temporibus huc ad mercatum negotiatores, ex omnibus propemodum Europæ, multisque etiam Asia partibus, conueniunt. Agrum habet per bonum, ac nitidum, totumq; collinum, Vitibus, oleis, alijsque fructiferis arboribus abundantem. Inde haud procul versus mare eunti D. Mariae Laurentianæ Fanum occurrit. Superius verò Auxinus vetus ciuitas est Plinio nominata. In littore deinde Promontorium Anconi sequitur, Cymeria dictu antiquis vel Cumerum. Sub ipso autem Promontorio qua se in mari torquet vrbs Ancona, vel Ancon antiquissima iacet, ab oræ huius flexu cubi formam affidente denominata. Nam is Græcis αγκαλια dicitur: Oppidum hoc priscum, Italorum & Gallorum discrimen est habitu. Etenim vt Mela tradit Italia hic finiebatur, incipiebatque Galli, Senones, cum Gallia togata. Situs Anconis eiusmodi est, vt Promontorio sit apposita, pulchroque & tam aditu oportuno, quam statione nitissimo portu, à Septentrione claudatur, quum Traianus Imperat. Augustus marmore cum gradibus, per quos commodissime naues onerantur & exinanierunt, instaurauit, adiecto etiam arcu magni & præclarri operis. Portus hic nobilissimus cum natura, tum opere & arte clausus, adeò & tutus est, vt tam magnitudine quam oportunitate inter primos atque nominatissimos, orbis terrarum vniuersi possit annumerari. Sillij Italicis tempore hic purpuram tingi solitam, vel eo Sillij versu constat. *Stat fucare colus ne Sindone vilius Ancon Murice nec Libyco.* ad quem locum Marsus annotat, purpuram maximè tinxisse ternos populos Phœnices, Libycos, & Lacones, quodque idem Anconitani sacerent, vti à Sillio proditur, id alios non tradidisse. Hic nunc vt paulò ante dictum Picentini finis ac Senonum initium, quorū hic terminos tradere operæ pretium visum est. Erunt itaque Senonum in Anconitana Marchia termini. Flumen sinus amnis ab exortu. Folia ab Occasu, Apenninus à Meridie, Sinus Adriaticus à Septentrione. Primum itaque ab Oriente, Flumen si-  
nus amnum transmisso, vrbs inuenitur Aesis. Dubium à flumine nomen ipsa teneat, an illi dederit. Ptolomæo enim & reliquis Aesis dictus est. Ultra sub primis Apennini collibus, atque adeò inter ipsos honestissimum oppidum est Fatrianum nobilitate, & ædificiorum magnificentia primus Italiae totius castellis vulgi dicto collatum, quo Crema Lombardæ, Pratum, Tuscia, Barutum, Apulia, Fabrianum, Marchia celebrantur. Oppidum est Fabrianum lautè ædificatum, colonisque frequens, maiori ex parte artificibus chartarū, quæ hic laudatissimæ fiunt, tantaque copia, vt plurimis Italiae regionibus, atque Constantinopoli, & alijs insuper orbis partibus sufficiant. In ora deinceps vrbe est, Senogallia, ab Occasu Misafiu. alluitur. Maxima dulcium aquarum penuria laborant, propter maris vicinitatem, ideoque importata necessario vtitur. Cœlum habet graue. Incipit hic Gallia Cisalpina, item illa Planities amœna, pulchraque Apennini montibus, & Germanicis alpibus complexa, Padoque flumine diuisa, quæ Polybins lib. 2. describit. Deinde in littore ad urbem Fanum Fortunæ deuenitur. Arcus hic in marmore sumptuoso ac nobili opere factus appet, altus, vt æstimari potest, cubitos 30. latus 20. fastigio mirabili arte elaborato, quod concidit. Integri tamen operis similitudo à Fanensibus ad memoriam æternitatis propinquu loco in saxum depicta, expressaque cōspicitur. Tum in Continentem secundum Metauri, dextram ripam incidenti via Flaminia, quæ à Fano in Meridiem fleat, ad quintum decimum lapidem vrbs vetus occurrit ipsa in via Fossinubrunum, ab antiquis Forum Sempronij nominata. situ partim latus, partim radices colles amplectitur, in ripa Metauri dextra, cum primis lautum opulētumque & frequens oppidum, agro optimo, triticum aliaque frumenti genera, Vinum suave, nobilesque fructus propter cœli clementiā, citius quam alibi in Piceno, Flaminiaue maturitatem trahentes, generas. Ulterius in ora vrbs Pisaurum ædificijs lauta, elegansque. Et Curiam habet sumptuosam, aliasque præterea nobiles ædes, sed cœli grauitate vehe-  
menter laborant, præcipueque mensibus æstiuis, vt adeò paucissimi hic mo tales annos quinquaginta superare, nec multi ad eam ætatem peruenire soleant: quamobrem æstuante aëre, potissimeque sub Canicula tot absimulatur pueri, vt vix dici queat. Vnde Catulli illud est ad Iuuentum: *Præterquam iste tuus moribunda in sede Pisauri, Hospes inaurata, pallidior statua.* Ager vrbis amœnissimus, sicuum maximè fertilis, qui hinc arefacti exportantur ad Venetos, totaque Flaminia maximo pretio sint. Pisaurum insuper certis anni temporibus ad mercatum Itali, Illyrici, aliarumque partium negotiatores conueniunt, propter locum mari contiguum, conuehendis mercibus valde oportunum. Intus verò in Continenti inter Argillam & Metaurum flu. Vrbinum vrbs est, Du-

catus titulo nobilis, lautissima splendideque satis ædificata, bona ac fœcundo quoque agro, generofisque fructibus abundante. Cuiusmodi hic tractus est, rerum omnium fertilis, attamen lignarijs fructibus, quam frumentarijs præstantior. Fluminibus rigatur plurimis, omnibus tandem in sinum Adriaticum defluentibus, ab Ortu primum est Drunus, dein Asom, Lætus mortuus, Tiæna, Chientus, Potentia, Muson, Flu-messinus, Misæ, Sentius, Cadianus, Metaurus, Argilla, Isaurus, Cathoca, ac complures alij. Lacus item famosos Nursinus, in quo dæmones habitare feruntur. Montibus ac collibus ipsius Apennini vndique eleuatur regio. At verò supra Castellum Arquatum, Apenninus altissimus cacuminibus effertur, Nursini montes dicuntur, vt adeò seipsum celitudine videatur superare, eaque iuga cetera quanquam æditissima vincant. Ideoque ex re nomen huic culmini datum M. Viatori. In horum iugorum uno immanis horribilisque species, Sibyllæ Cauernam vocant, hac fabulatur vulgus ad Sibyllam patere aditum, quæ regnum intus luculentum atque speciosum possideat magnificis ædibus & basiliis plenum, in quibus innumeræ gentes versentur. Oblectationibus venereis, inter choros puellarum lascivientium, & per ea iucundissima teæta ac amœnissimos hortos disfluentes. Id verò interdiu tantum accidere, noctu enim viros mulieresque pariter & vna Syllam ipsam in terribiles mutari dracones, simulque cum teterrimis belluis primum opere venereo congregati ijs esse necesse, qui intrò admitti cupiunt, nec ante annum exactum quenquam contra voluntatem retineri, nisi quod vnum omnino quotannis, eorum è numero qui tum recepti fuerunt, manere oporteat. Ad hanc porrò auram inde reuersis tantas Sibyllam prærogatiwas elargiri, vt fœlicissimo deinceps toto vita cursu vtantur. Montem hunc vulgus Dominæ Veneris vocant, quem nonnulli in Tyrolensi Comitatu esse crediderunt: at somnia hæc sunt de Sibylla. Cauernas verò extare hisce locis tetterimas liquidò constat. Sylva hæc celebres nullæ: Nec verò quod sciam, vel minærarum, vel thermarum hæc vestigia reperiuntur. Piceni itaque seu Marchiæ termini ponuntur ad Orientem Praecutini cum Trunento amne, ad Meridiem Sabini, Vilumbri & Vmbri Ducatus, Spoletini gentes cum Apennino. Ad Septentrionem sinus Adriaticus, ad Occasum Gallia togata, nunc Romanula cum Isauro amne. Incipit autem ab Occidete sub longitud. grad. 35. minut. 42. vbi Pisauru vrbs cum Isauri amnis ostio, definitque in Oriente sub longitudine grad. 37. minut. 32. vbi Iailia noua ciuitas cum Druenti flu. ostio. A Meridie initium sumit sub latitudine grad. 42. minut. 10. vbi Matrium oppidum, definitque in Septentrione, sub latit. grad. 43. minut. 22. vbi Fanum Fortunæ, Subiacet itaque post medium 6. climatis, quod est per Helleponum, ita vt per eam transeat parallelus 14. diemque habeat prolixorem horarum 15½. longa itaque est ab Occasu in Ortum mill. German. 21. vel Italicis 86. lata autem ab Austro in Boream mill. German. 18. vel Italicis 72.

## SARAE ET SEBENICI COMITATVS.

**D**E hoc Comitatu non habeo quod dicam, quam quod tum ex Plinio, tum ex alijs authoribus colligere liceat, eum olim tractum Liburniam vocatam, eo verò loco quo Zaram hodie conspicimus Iaderam Coloniam extitisse, Sibinicum verò Sicum appellatum fuisse, vti Volaterrano constat, eorum verò loco Nona Dalmatiæ oppidum olim Enona, & Phanates qui fini Phanatico nomen dedere. Verù libet de hac regione ascribere verba AEneæ Siluij, quæ sic se habent. Quærat fortasse (inquit) aliquis, vbinam Liburnorum dimisimus quam permeasse Antenorem Italiam petentem, insignis Poëta commemorat. Confusi sunt admodum prouinciarum fines, nec expeditre facile est, nedum quis vetustissima possit absoluere. Plinius Liburnia finem initium Dalmatiæ dixit, & Tragurium marmore notum in ea esse. Solonam quoque Coloniam, quæ ab Iadera 222. millibus passuum absuit. Iaderam verò 160. à Pola distare, ex quo fit, vt inter Croatinos & Dalmatas Liburni sedes habuerunt. Forstian & Croa-ille. Complectitur verò hic Comitatus terrâ à 38. gradus longit. minuto 25. vsque ad 39. long. grad. minutum 37. Itemque à 45. gradus latitudinis minuto 22. vsque ad finem eiusdem. Vti sit sub finem 6. climatis, ac per eum transeat parallelus 15. diemq; æstuam prolixorem habeat horarum 15½. paulò minus. Continet itaque hic Comitatus in longitudine ab Occasu in Ortum mill. Germanicorum 3. seu Italic. 52. In latitud. autem i. ab Austro in Boream mill. Germanicorum 9½. seu Italic. 38.

## GALLIA.

Allorum nomen s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> variatum, à nouis subinde Ducibus, Regibus uice appellacionibus assumptis, vel vniuerso populo communibus, vel alii cui eius parti peculiaribus. Initio nimirum non Galli, sed Samothei dicebantur, teste Berofo Chaldeo, idque à Samothe cui Dis cognomen erat. Erat verò is quartogenitus Iapeti filius, Colonias autem primus in Galliam seu Celticam mandato Iani patris, qui & Noë duxit, tempore quo Nymrothus prius Alsyriam occupans Babyloniam fundauit urbem, Anno scilicet à Diluuiō 131. quo nimirum Noë pater multiplicato rursus humano genere in omnes orbis partes posteros emisit, ad ducendas colonias, incidit id tempus in Annū à mundo condito centesimum quinquagesimum nonum supra bis millesimum. Fundauit itaque is Samotheis Dis Celtas, quo sapientior non fuit quisquam ea aetate, ac propterea Samotheis dictus est, suo<sup>s</sup>que Celtas legibus formauit. Ei in regno successit Magus filius, quod Scythica lingua, qua tum vtebantur, palatium, domum, seu tectum designat, quasi tectorem seu dominicatorem dicas, quod hic primus Gallis tecta oppidae induxit plura. Vnde complura, multorum sententia, apud Gallos oppida Magam nominationem adepta: vti Neomagum, Rhotomagum, Beubetomagum, ac multa alia. Post hunc Sarron regnauit, circa Annū mundi 2367. Hic ut contineret ferociam hominum, tum recentum publica literarum studia instituit, ab his Sarronidas dictos fuisse eos, de quibus Diodorus lib. 6. scribit, non ambigitur. Sunt, inquit, apud Celtas Theologi & Philosophi quos vocant Sarronidas, qui praecepit ab eis coluntur. Hunc secutus est in imperio Drygus, à quo Celeratum Druidas, seu si maius Dryjudas, diuinatores dictos esse vix dubium est, quorum tum Cæsar s. Commentariorum, tum Diodorus lib. 6. meminerunt. Hæredem hic habuit Bardum inuentione carminum & musicæ apud Celtas inclytum. Vixit is anno mundi 2435, à Diluuiō autem 419. Medianarum Poëtae, quos appellant Bardos, quare à Gallis in Græciam & Asiam literæ musæque illatae sunt. Reliquit autem hic regnum filio Longho nominato, ab hoc ergo Longones & Lyngones dictos nonnullos Galliæ populos nomen accusat, quos in Gallijs à Ptolomæo reliquiq<sup>s</sup>; Geographis notatos reperimus, hoc mortuo, Bardus, qui ad differentiam superioris, iunior cognominatus est, Sceptra tenuit. Post eum autem Lucus regnare coepit, à quo Lucios & Lucenses populos prope Parisum à Ptolomæo & Geographis locatos, nomen obtinuisse arbitror. Huic rursum Celtes successit, anno circiter à cōdito mundo sexcentesimo decimo tertio supra bis millesimum, seu à Diluuiō 597, à quo referente Berofo, nomen habuerunt montes illorum maximi à conflagratione syluarum (Pyrenæos notans) qui diuidunt Celtas & Celtiberos. Dicuntur autem, ut ait Amnius Viterbensis, Celtæ quasi Celitæ, id est conflagratio Louis, Celion enim incendium est lingua Phoenica, Itus autem Iouem designat, quod nimirum sub Ioue Galata id incendium factum sit, Ioues verò illius temporis Reges dicebantur, de quo vide Diodorum lib. 6. Post hunc Celts regnauit Galathes filius Herculis, nepos Osiridis, circiter Annū à condito orbe 2636. à quo Gallatij ac Galli, Samothei dicti sunt. Anno verò mundi 2676, à Diluuiō autem sexcentesimo sexagesimo Galliæ habenbas rex Narbon Galathei filius, à quo & Narboneensem Galliam (quam Romanam postea prouinciam Romani dixerunt, ius illi Italæ tribuētes) cognominatam esse certum est. Tempore deinceps quo Mancaleus decimus quartus Assyriorum rex imperabat, circa Annū nimirum mundi 2703. Gallia regno Lugdus præfuit, à quo, inquit, Berofus prouincia & homines cognomenta sumperunt: Prouinciam itaque interpretantur Lugdunensem totam, quæ etiamnum hodie id nominis tuerit. Homines autem Lugdonicos dictos, quos postea g, litera elisa, Ludouicos vocarunt, Imperante autem apud Assyrijs Mamelo 17. eorum rege, apud Celtas Beligius principatum tenuit, à quo illi Beligia, seu per Syncopen Belgici appellati sunt, Regio verò Belgica omnis quæ inter Scaldim seu Tabudam, Sequanamque flu. interiecta est. Anno postmodum à mundo condito octingentesimo, & duodecimo supra duo millia, quo videlicet tempore Assyrijs Aescatades imperauit. Gallijs præfuit Allobrox, quem commixtas in Australem Narbonensis prouincia partem colonias deduxisse tradunt nomine ab resumpta: Allo enim commixtionem, Deos verò seu Daros Austrum interpretatur, quæ Australem dicas commixtionem. Eo loco à Ptolomæo ceterisq; Geographis Allobrogos notantur, quo Sabaudia hodie Ducatus conspicitur. Post hunc apud Celtas regnauit Romus à Diluuiō annis 864, à quo Romandi dicti sunt nonnulli Galliæ populi, leguntur & in Ptolomæo Romandissi Belgicæ populi, & in Rhodani decursu Romanum & Roma. Circa annum à Diluuiō octingentesimum nonagesimum nonum, vti ex Manethone Chronographo colligere licet. Galliæ gubernaculum tenuit Paris, quem eum esse qui Parisios populos condiderit, nulli dubium esse potest, quorum Metropolis ad hanc aetatem Parisius dicitur, supremarum disciplinarum omnium Gymnasij scholisq; inclita. Porrò annis post hunc 49. Lemannus Galliæ regnum accepit, citra verò controuersiam, hic is fuit qui Lemannos posuit, & à se nominavit cum lacu Lemanno, quæ in Sabaudensi Ducatu Lozanne hodie incolæ nuncupant, qui Rhodanus perfluit medium. Hoc mortuo Gallijs Olbius imperasse traditur, cuius nulla (quod sciā equidem) monumenta vestigiaue nominis antiqui custodes extant. At verò qui eum secutus est Galathas iunior, Sarmatas vicisse, Asiaque Galathas ductis, hinc colonijs condidisse traditur à Chronographis. Illi Namnes vti Manethon, seu Nannes vti nonnulli alii scribunt, successit in regno, eum constat in Lugdunensi Gallia Nannetes populos condidisse, à quibus Nantes per Syncopen, quasi Namnetes orti sunt, ciuitas in Turonensi prouincia superioris Britanniae Episcopalis, ac Comitatus titulo illustris. Celeratum deinde rex fuit Rhemus, à quo Rhemi Belgicæ populi, quorum etiamnum Rheni Metropolis in Lotharingia Ducatu, in qua rex Galliæ religiosè & pompa solenni inungiac rex clamari solebat. Anno tandem mundi centesimo quadragesimo octavo supra ter millesimum post eversam Troiam, Francus Heitoris filius rex à Celts suscepitus fuit, à quo nonnulli & Francos & Franciam, Gallos Galliamque denominatos credunt, cùm Francos à Germanis oriundos vnamini consensu omnes ferè authores tradant. Galli enim à Francis Orientalibus post Etij mortem tempore Imperatoris Valentiniani tertij, subacti Franci Occidentales dici coepere, ad differentiæ eorum qui in Germania magna ad Moenum Salamque fluuios confidētes morabantur, quos Orientales vocabant. At verò cùm fāliciter ij Franci Germania secunda, & prima Belgica cùm parte secunda potuti essent, paulatim etiam interioris Galliæ ciuitates subiugant. Vnde factum vt Germania secunda & vtriusque Belgicæ pars, vbi confedēre Franci

cum vxoribus & liberis, appellata fit Francia Teutonica, quod Franci Teutones essent, hoc est Germanicæ, Teutoniceque loquerentur. Interior verò Gallia cuius dominium indies est auctum, Francia Romana dicebatur, quod homines Romanè ibi loquerentur, hoc est Gallicæ. Postmodum sub Othono primo, vti Luitprandus Ticinensis author est. Teutonica Francia Aultraſia quoque nomen habuit, id est Ostreich, seu Orientale regnum. Romana verò Francia, hoc est Gallica VVestrich dicebatur, id est Occidentale regnum, pro quo Gallicani scribz Neustriam usurparunt. Hodie Gallorum omnium ijs præcipue Francorum seu Franciæ regni nomine appellantur, qui circa Parisum Belgicæ secundæ limites colunt. Galliæ porrò antiquitus innumeris penè coluerunt populi, vt pote quæ multarū exterarum gentium, Gothorum scilicet, Normannorum, Germanorum, Alemannoū, Francoruū, Britannoruū incursiones sustinuerit, præter Romanoruū, quo vniuersa in prouinciam olim redacta fuit in ea imperium. Horum nos, breuitati studentes, obiter tantum nomina, inter diducendum eius nobiliores prouincias enarrabimus. Romani itaque Galliam omnem primum bipartitam feceré, Cisalpinam quæ & Tonsa siue Togata dicebatur, quod eius tractus homines toga Romano um passim vterentur, inter Apenninum, & Alpes, & sinum Adriaticum interiacens planicies, Citerior Gallia denominatur, pars est Italia, hodie Lombardia dicta, & Ducatus Mediolanensis. Transalpinam quæ & Comata vocabatur, ab intonsis crinitibus, namque Galli perinde atque Germani nutriendæ comæ studio tenebantur, prolixam gerentes casariem. Cisalpina Gallia Italia finibus inclusa est, & Liguriæ aliquando prouinciae nomen habuit, nunc vulgo le Pays de Genes. Habet & Insubriam, inter Ticinum & Abduam, Padum & Alpes, nunc Piedmont. Lombardiam siue Longobardiam, regionem totius Italæ vberriam, oleo, vitibus, frugibusque foecundam, aquis & lacibus illustrem, fructibus pascibulæ copiosam, viciis, arcibus, & opulentissimis ciuitatibus insignem: Ducatum Mediolanensem populi in hac Citeriori Gallia olim Græcæ originis Orobij, nunc Briantei, quos secundum Alpium crepidines Cenomanni Brixientes sequuntur, Andegauësibus proximi, & Rhedenibus versus Oceanum, Veli, Ananes, Massiliae vicini, Boij, Bononienses, à quibus Boij nunc Bourbonenses Heduis vicini orti sunt. Eganes, Senones, Gessatae, nunc Romanioli, Salassij nūc Pedemontani, Cotij olim nunc Sabaudi, quos Lebui sequuntur. Hinc Salij, quo nomine prius Francos appellatos arguant: Leges eorum Salia nominata. Horum vrbes & reliqua, cùm in Italia descriptione, sūisque à nobis locis tradita sint, hīc ab eis breuitatis causa ablinebimus. Transalpinam in Belgicam, Celticam & Aquitanicam distinxere, illis addita est Narbonensis, quæ secus littus Mediterranei freti porrigitur, quæ eadem & Braccata à Braccis, id est femoralibus prolixis vestium genere vocitata, quo vtebantur, qui præter hoc sagis tecti, Strabone teste, & vestibus brevibus, quibus vix nates tegere poterat, vestebeantur. Est ea omnium Galliæ regionum fertilissima. diuiditur ab Italia Varo amne, & Alpium iugis: à reliqua Gallia latere Septentrionali Iura & Gebenna montibus. Ab Aquitania Garumna flu. dispescitur. Huius eam partem quæ est trans Rhodanum versus Mediterraneum Pelagus, vsque ad Liguriæ montes, Galli peculiariter hodie vocant Prouinciam, à Gothis etiam olim Gothicana dicta, nunc corruptè Ocitana, ab alijs Auxitana. Languedocia pars est prouincia. Delphinatus porrigitur vsque ad Allobrogos, qui nunc Sabaudi, & Taurinos qui Pedemontani hodie dicuntur. Sabaudia autem vltra Lemaccum lacum est. Atque hæ sunt quæ hac aetate in eo tractu nobiliores habentur regiones. Prouinciales verò prisci populi traduntur, Tarentasij, Sedunis finitimi, iuxta Poeninas Alpes, Allobrogos. In Delphinatu referuntur Blagouij, Brannuices, Eburoduni, Languedociam coluere Tolosatij, Volcæ, Nitobi Briggs, Tectosagi. Narbonenses autem erant Sallyes & Ruscini, Vocontij, quorum regio ad Allobrogas vlique protenditur, per profundas Graiarum Alpium valles, Vrbes horum nobilissimæ sunt, Narbona, Languedocia Metropolis, Tholosa sub ipsis penè Pyrenæi iugis, Parlamento totius regni ac vniuersali studio clara, vulgatoque Tholosani auri adagio nota ciuitas. Massilia à Phocenisbus condita Agathopolis, nunc mons Pessularius facultatum præcepit verò medicinæ professiō nobili gaudēs schola. Gratianopolis, Aquæ Sixtiæ, nunc Aix en Provence. Nicæa vrbs ad Ligusticu mare nobilissima. Gebenna emporiū. Allobrogum in ripa Lemanni, aliaq; complurimæ. Aquitania à Celtica seu Lugdunensi Orientali Septentrionalique lateribus obliquo Ligeris fluuij meatu seiuncta, à Meridie Pyrenæis montibus, ac Nauarræ regno excipitur, ab Occidente Hispania, Aquitanicæ, quæ limitatur Oceano. Prouincias hodie cōtinet Pictoniam, Limosin seu Limoniam, Biturrigiæ, quæ Ducatus nomē obtinet, Guiennæ Ducatus quoq; titulo claræ, Vasconia seu Guasconia, Bigorriæ seu Barnensem Ducatū & Armaignacum. Theuerus Gallus Cosmograph<sup>s</sup>, in octodecim eā ignobiliores partim regiūculas distinguit. Populi in ea à veteribus collocantur Aquitani, à quibus huiuscem Galliæ partis nomen ortum, Vascenses, inter quos Tarbelli, Datij, Bigerones, Ausci, Cantabri, Pictavi siue Pictones. Tarvistatij, Garumni, Cocosates, Cenomani, Sigulatæ, Andes siue Andegauenses, Auxitani, Valsarij, Flusati, Rutheni, Lemouices, Auerni, Bitungenes, & quædam etiam præter tenses, Vabrenses, & plura eiusmodi alia. Ciuitates eorum sunt præcipuae Burdegala, præter alias eximiæ clara Burdegalico senatu, Auaricum, Bituris Academia nobilitata. Auxitana, Turonia, Andegavia, Angolisma, Pictavia quoque vniuersali studio nobilis, cæteras breuitatis causa volens prætere. Celtica verò Gallia, ea est quam Augustus Cæsar quartam efficiens Galliæ diuisionem, Lugdunensem esse voluit, eaque à nonnullis in Lugdunensem primam & secundam disjecta fuit. Oritur autem in Meridie à Iurano monte, qui est inter Sequanos & Helvetios, & à lacu Lemanu fluen in Rhodano, ac penes Sequanæ ripam extensa, ad Oceanu Britannici vsque littora dilatatur. Ligeris autem fluuij alueo ad Aquitania dirimitur. In ea sequentes numerantur hac aetate, cæteris digniores maioresque Prouinciae, Normandiae, Superioris item & Inferioris, Britanniaeq; Ducatus, qua pars olim Aremoria nuncupata fuit, Ducatus Aniou, Turonia, Niuernia, Burgundia Ducatus & Comitatus, Borbonia Ducatus, Auernia Ducatus, & Segusia quæ nunc Bressa. Populi verò in his prisci commemorantur in Burgundia quidem Hedui, Mandubij, Lingones, Sequanorum pars, Verdunensis Bi brachæ siue Belnenses, Diuionenses, Matisconenses, Cabillonenses, Segusij. In Normania autem Neustri, Ambilates, Bellocassi, Lexouij, Eburonices, Aulerci, Aurelienses, siue Aurelianii. In Britannia Osifissimi, Diablintres, Curiosolitæ, Rhedones, Naneræ a ostia Ligeris, Cadetes, Veneti littora Oceanu Gallici incolentes, Boij nunc Borbonii, Auerni, Senones, Ambari seu Niuerni, Carnutes, Britones, Veromandui, Lugduni, & plures

NOVA TOTI  
VS GALLIÆ  
DESCRIPTIO.

# Carta Galica

GALLIA ( iuxta veterum Romanorum  
descriptionem ) in duas diuiditur, videlicet  
Cisalpina, & Transalpina. Quarū Cisalpina  
Romanis dicta, ab Alpib⁹ incipiens, extendit sece  
usq; ad amnum Rubiconem: atq; illinc excurrit  
per Appenninū montem ad Varū fluu prope  
Genuam. Hæc Cisalpina hodie dicitur Lom  
bardia. Gallia Transalpina Romanis nobis  
vero Gallis respectu Alpi⁹ Cisalpina diui  
ditur in partes quatuor, quarū sunt Belgica,  
Celtica, Aquitanica, & Narbonensis.  
Belgica terminatur Rheno, Sequana Ma  
trona fluuīs, & mari Oceano. Celtica limites  
habet Matronam, Sequanam, Oceanū Ga  
rumnam, & Rhodanū. Aquitanica sitū habet  
inter Garunnam & montes Aluerne montes  
que Pierrenos, atq; Oceanū. Narbonensis  
determinatur Alpibus, Rhodano, montib⁹ Al  
uernia, Pyrenæis, atq; illinc excurrit ad  
Alpes & flu. Varum



A detailed historical map of Northern Italy, likely from the 16th century. The map features the Alps in the background, with the Padus river (Padova) flowing through the center. Major cities labeled include Trento, Venetia, Brescia, Mantua, Verona, Padua, Ferrara, Parma, Reggio, Bologna, and Scarpone. The map also shows the LICEAE ARS and Mons Pena.



# G A L L I A.

plures alij, quorum enumeratio fastidium lectori pareret. Ciuitates hi metropolitanas, claraeque habent Augustodunum, Heduorum vrbs opulentissima Lugdunum sub colle ad Confluētes Araris & Rhodani, emporio in omni Gallia celeberrimo, Lutetia Pari- siorum totius Galliae florentissima amplissimāque, Regni sedes, frequens & populosā, Academia, & Gymnasij celebris, Senatu etiā amplissimam in Gallijs Iurisdictionem habente, famosa, S. Maclouium portum totius Britanniae commodissimum habens. Campodanensis etiam ciuitas vniuersali studio insignis, Senonis, Nouiodunum, Ni- uernenium Metropolis ad Ligerim. Rothomagus senatu clara, Alexia nunc Alsetum in Burgundia: illi ciuitati vti Diodorus Siculus lib. 5. testatur, insignia armaq; ab Hercule data Florum Lilij, etiamnū Galliae regibus vſitata. Est & Aurelia ad Ligerim fluuium praeclara ciuitas. Belgica tandem Provincia Rhodano, Rheno, Matronaque Sequanaq; fluuijs, & Oceano partim Germanico, partim Britannico circumscripta, prouincias continet, Franciam, Picardiam, Vermandois, Artesiam, Hannoniam, Flandriam, Brabantiam, Zeelandiam, Cliviam, Luxemburgum, Lotharingiam, Elsatiam, Campaniam, Nithlandiam in Auentico traectu, quæ Burgundia pars est, Vallem Poeninam, hodie Valesiam vocatam, Heluetiam, hodie Suiceriam, quam regionem hodie colentes Ale- manni sunt, Heluetij verò Gallica olim gens fuit, quæ nunc interisse putatur. Sylua Ardenna tota Leodiensis Dicecesis, Priscos huius partis colonos recensent in valle Poenina Veragos, quorum oppidum Sedunum, in superiori Burgundia Sequanos, Bi- suntinos, Cepinenses, Vallupenses, Pennenses, Reamonenses, Muillotenses, Valdanos, Angeliones, Montanos, Osenses, Migenses, nunc Nozerethenses, Chaldeenses, Si- rodanos. In Picardis, Ambianos, Sueßiones, Bellouacos, Veromanduos, Morinos Flandrorum partem, quorum inclita & munitissima metropolis Terra uara, Campani, Rhemi, Catalauni, Trecenses. Reliquos cùm in Germania (qua vtuntur lingua ad quam modò referuntur) tractauerimus, hoc loco missos faciamus. Eousque enim vnam- quamque regionem extendi nunc dicunt, quo usque gentis illius sermo versatur. Vnde consequenter Belgiorum maior pars, licet Rheno antiquo terrarum limite à Germania nostra direpta abscissaq; confaciatur, illi tamen à plerisque annumerāda censeatur. Reliqui verò omnes quos enumerauimus populos, ijs tantum qui Cisalpinam colunt demptis, gallico vtuntur sermone, nisi quantum Britanni & ipsi inter se idiomate variantes, ex veteri sibiique propria Britannica Anglicaque lingua retinentes, à ceteris Galliae populis differunt. Gentis verò huius mores seu veteres, seu modernos, recen- tesue desideras, lege cùm apud Cæarem, tum Iohannem Boëmum Aubanum, qui ex pluribus receptisq; authoribus, quicquid de illis sparsim ab alijs alij sive traditur, vnum in aceruum collegit: nobis prolixitatis vitanda grata, ea referre haud licet. Aere frui- tur vniuersum quidem regnum temperato, lacibus tamen stagnisq; ac paludibus plusquam Hispania infecto, ventique crebrioribus flatibus exposito. De agri autem eius fertilitate hæc ferè sunt quæ à Scriptoribus traduntur. Fuit Gallia ab antiquis tem- poribus semper culta, tam in vribus & oppidis, quæ in agris, hortis & pratibus. Cùm enim tempore Incarnationis Christi, quo Strabo Geographus scripsit nullus totius Galliae angulus culturæ expers eruit, præter lacus & nemora quæ culturam nequa- quam admittunt, quid mirum si hac ætate cùm alias terras, tum seipsum superet. Potis- simum autem Provincia Languedocia, aliaque Mediterraneo mari propinquæ regio- nes, mirè sunt fertiles, solo quippe is tractus tam est feraci, vt spōte aut modico saltē labore cultum inestimabiles, eodemque nobilissimos proferat fructus, tantam enim ficuum gignit copiam, vt bona Europa pars hinc fucus ac vuas passas petat. Ibi arbos ea odorifera, quam Rosmarinum appellamus, semper virescens, haud secūs quam in Ger- mania nostra Iuniperus sylvestris. Vix vñquam Europa Castaneas producit maiores: quin & poma Citrina, mala Punica, Granataue vberius ibi quæ alibi proueniunt, in- deque ad nos deferuntur. Quæ verò nobile in illis partibus crescat vinum, imò per totam Galliam, quæ tot irrigatur ac foecundatur amibus, dici nō potest, vnde in Ger- mania quoque Burgundia, ac Provincia vina nota sunt. Frumentum præterea non incolarum modò sustentationi sufficiens, verum & exterorum prouinciam subleuans est. Cùm quotannis ingens cùm Genuensem mercatorum, tum Hispanarum nauium numerus eo onustus ex Arelatensi portu soluat. Neque Aquitania insuper tot insigni- bus populosissimisq; ciuitatibus frequens foret, ni fundo gauderet vni, frumenti, olei, frugiferarum arborum, fontium, fluminum, pratorum, pascuarum, pecorum, nemo- rumque, ac aliorum quæ vita humanae sustentandæ necessaria sunt, fælicissimo prouétu diuti. Ceterum Britannia, tametsi paucis locis aridior sit, nec admodum frugifera, milijque potius quæ farris ferax, tamen reliquus eius ager foecundior, nemoribus sylvestris densus, quo loco Montignon Castrum saltui, qui vulgo (de la Hunaudaye vo- catur) vicinum conspicitur. armentis is locus abundat, vnde pascua ibidem plurima cum pecora eorum diuitiæ sint, ac haud secūs quæ Sicilia insula finitos frumento, ita hæc Britannia vniuersam Galliam re pecuaria, butyroque iuuat, præter id frumenti quoque non parum in Hispaniam Portugalliamque ex his partibus exportatur. Nor- mandiæ insuper tellus Cereris hortus videri queat, armentis ultra modum referta, vt pote pascuis vberima in Constantiensi prefertim Dioceesi seu septo, quod vernacula eius populi lingua *le Closer de Constantino* vocant: vbi pabuli tanta est luxuries, vt si quis ad vesperam bacillum illuc proijciat diluculo consurgens, herbido toro cōiectum vix intueri queat. Arborei præterea ibidem prouentus immensi, piscium tuni marino- rum, tum fluuiatilium optio, & si vinum demas nihil ad annonam pertinens desideres, racemaria enim foecunditate plusquam vini maturitate memorabilis Normannia. Ipsa quidem Neustria abstemia est, ad cetera ferax, & quantum incolis satis est, frugifera. Vni siquidem in tota Neustria cedit, quæ apud Rothomagum est vitiferæ culturæ, habet itaque huius soli genius, illud vna cum Arboretano commune, vt vitifer potius cen- sendus veniat quæ vinifer. Hunc tamen naturæ defectum incolarum compensat in- dustria solertiaque, ex pyris pomisque minimè ingrati saporis potum conficiunt, in mari etiam vino durabiliorem, minusque eo corruptioni obnoxium. Lini ad hæc

regio, plus quam vniuersa reliqua producit Francia, cuius sollicita huius Incolæ gerunt curam. Denique cùm præter Metropolitanas septem vrbes quas continent hæc regio, oppida in ea numerantur 94. quis non videat summæ id fertilitatis argumentum esse? Qua ratione & Parisiensium territorium haud vltimo loco commendandum. Cùm enim Ludouicus undecimus Galliae rex scire vellet quadam vice Parisiensium robur, numerati sunt virorum ad arma aptorum 7000. Agrum itaque horum vltui sufficien- tem quis neget foecundum esse. Fluminibus Gallia vndeque rigatur, ijsque magna ex parte nauigabilibus, partim ex Alpibus, partim ex Pyrenæis montibus Galliam ab Hispania disternantibus, partim ex Cemeno Lugdunensis Galliae monte prorum- pentibus, quorum alij versus Aquilonem feruntur, in mare se Anglicum exonerantes, alij in Austrum lapsi Mediterraneo Ligusticoque mari excipiuntur. Reliqui in Occi- dentem cursum dirigentes suum, Aquitanico merguntur Oceano. Cisalpinam itaque Galliam rigantes, qui è Salassorum montibus scaturiunt, Duræ binæ, Morgus seu Orchus, Sturiaque & Sesites quem Sicciam vocant, Aconia, Nouaria, Ticinus, Terdu- plus. Lacus item Verbanus cum Orte & Lucano lacubus, & præter hos Abdua fluuo austus Larius lacus. In Insubrum agro lacus 17. Flumina autem 63. esse Blondus testis est. Deinceps Sebunus est lacus nunc Issicus, & lacus Benacus Veronensis agri, Citrorum copia odoratissimus. Ex Apennino etiam innumeris penè effluent, vti Borbus & Tanarus 12. in se receptis torrentibus auctus, Saxis item Salinis celebris, & pleriq; alij, quorum tum in Italia, tum in Helvetia facta est mentio. Aquitaniam foecundant Liger potissimum in ea regione fluuius. Oritur in Auernia, & lōgissimè profluens infra Nanetes in Oceanum exit Aquitanicum. Garumna ex Pyrenæis descendit montibus, Tholosam præterlapsus prope Burdegalam Oceano miscetur. Sunt præter hos Late- riū, Carus, Chalenta, Dordonna, Vienna, Creusa, Theo, Lurus, Sarera, ac alij innumeris quos hic recensere longum esset. Celticam Sequana humeūtat, cui Iona, Albis, Osia, Axonaque miscentur Somius, Ornus & plerique alij Britannico miscentur mari. Habet & Normannia Penesmum lacum mira foecunditate pifculentum, adeò vt huic nonnunquam accolæ hauriant anguillarij generis redundantes, modios plus minus octodecimi retis iactu continuo. Elauer flu. ex Auernis profluens in Ligerim definit. Narbonensis Galliae nobilissimus est Rhodanus. Rho supra Sedunos ex editissimis Al- piū iugis, non ita procul à Rheni fontibus manans, per lacum Lemanum tanto im- petu duectus est, vt neque aquæ neque pisces commiscantur, atque multo spacio su- pernatur, paulò infra Dano iungitur, hinc fit Rhodanus: qui vbi præterit Lugdunum, ad Meridiem conuersus incredibili rapacitate infra Arelatum duobus ostijs in mare Mediterraneū præcipitatur, receptis prius Isara Druentiaque. Belgici deinceps amnes sunt Matrona ex Lingonibus ortum habens Campaniamque perlungens, duobus supra Lutetiam milliaribus Sequanæ se committens. Arar lensus scaturit ex diuersa parte Voggi montis (vnde Matrona Mosaque efflunt) & lapsus per Burgundiam passibus aliquot infra Lugdunum Rhodano miscetur, vocaturque Sona. Illi se coniungit Dubis, quem Alduasdalim Cæsar vocat, ex Iura monte ortus. Est & Danus, Sena, Serpentina & Angelione amnis onustus. Furiosa citatus torrens ex Salinarum rupibus in Lupam influit, Lupa Dubio iungitur, Cœpina superiore Burgundiam rigat. Cella ex Balmæ rupibus erumpit, Riua autem Lacum efficit, iuxta oppidum à se cognominatum. Lacus autem superior Burgundia habet, Voraginum dictum, Pontium, Bonuallis lacum, Granuallis, Rubrarum troctarum. Boni loci, Marenum. Reliqui amnes partim in Bel- gica charta, partim in Helvetica, Rhenique traectu abundè explicati sunt. Montes etiam totius Galliae nominatissimi hac fluuiorum enumeratione satis notescunt. Cemenus in Lugdunensi, Adula in Cisalpina, Vogesus & Iurassus in Belgica, Gebenna in Narbo- nensi, Pyrenæus in Aquitanica regione. Sylvarum in Gallia maxima est Ardenna, nūc Eyslia, quam tum alibi, tum in Rheni traectus tabulis declarauimus. Præter eam sunt Heluonia sylua, nūc Quercij, Carbonaria & Quercetina, Britania Filicetanam habet, Normanni Audonam & Bretolinam, Lecenna Biturigibus & Auernis confinis est, Per- ticus autem & Langolaria, aut fortasse Aquilaria, vulgo l'Aigle, vel Aquilam Lugdu- nensem inumbrant Galliam. Minærarum autem Galliam fælicem esse apud nullos re- peri Geographos, aliosue authores, præterquam quod argenti fodinas esse tradant ad Cæsaris montem. Ad Saræ autem pontem Lazurij copia visitur. Et ad S. Quirinum ars viget specularia. Thermas etiam haud reperi alias, quæ vñ Romericō monte non procul extant. Lacus autem Linderius salinarum vñsum habet. Paucula hæc de Galliae regni contentis extremo dito monstraesse satis esto, plura desideranti Robertus Cæ- nalis, Andreas Theuetus, Gilbertus Cognatus, ac plures alij satisfacent. Regio autem de qua sermo est vniuersa ad Septentrionem & Boream, Gallico Britannicoque mari, ab Oriente Rheno, Alpibus, Apennino monte, à Meridie interno mari, Pyrenæisque iugis, ab Occidente Aquitanico inclusa est Oceano. A principio sexti climatis in finem vñque noni procurrit. Ab Occidente initium sumit à gradu 14. longitud. vbi Gobeum promontoriū, nūc vulgo S. Mahe, definit autem quā maximè in Orientē extēditur sub lōgitud. grad. 31. minut. 30. vbi Memetum vrbs: quamquā hodie eius regni imperium arctioribus claudatur limitibus, ac vixdum Obrincanum attingat traectum, vbi Metis Mediomaticum ciuitas cernitur. Austrina autem parte incipit à gradu latitud. 41. min. 20. vbi Perpignanum. Vbi verò vel maximè in Boream excurrit latitud. attingit grad. 52. vbi Rheni ostia sunt apud Batauiæ gentem. Australissimus itaque eorum Parallelus numero est decimus tertius, Heterosciorum vero septimus, vbi dies totius anni pro- lixior horarum 15, Borealisimus autē est vigesimus, at Heterosciorum decimus quartus, diesque ibidem æstiu maxima horarum 16 $\frac{1}{2}$ . longitud. hinc colli- gimus ab Occasu in Ortum milliariorum Germanicorum 185. quæ Italica efficient 740. latitudinem autem ab Austro in Boream Germanicorum 135. seu Italicorum

# PEDEMONTANA REGIO.

**P**regionem hanc nunc Pedemontium vocamus, tanquam pedem montium, quoniam ad radices Alpium est, quæ Galliam Sabaudiamque ab Italia diuidunt. Antiqua haec Taurinorum gens est, quos Strabo itemque Plinius in noua regione Ligurum stirpis esse tradunt, quamobrem à Doria riparia usque ad extremam oram Ligusticarum Alpium circa mare Ligurum tractum hunc omnem videtur incoluisse, quare Taurinos Liguribus attribuendos censemus. Ducatus Taurinus appellabatur sub Longobardis, à quibus in Provinciæ formam, cui Dux præterat, est redactus, nomenque dioecesi Taurinum urbs, ducis sedes ac domicilium præbebat. Estque haec prouincia Transpadanæ Lögobardiæ pars. Urbs metropolis est Taurinum, ad ostium in Pado Duria sita, ciuitas vetus, quam Ptolomæus Augustam Taurinorum, pariterque Cornelius Tacitus vocat, item Plinius inquisiens: Augusta Taurinorum antiqua stirps Ligurū. Conditam tradidere nonnulli ab Eridano seu Phaëtonte. Alij Lamisonem unum ex Noë nepotibus authorem loci asserunt, qui tractum inter Padum & Ticinum amnes vniuersum, reiectis primis habitatoribus, tenuerit, & à se Lamisonem appellauerit, qua voce gentis lingua Taurus significabatur: unde postea Taurini nomen profectum. Stephanus Grammaticus Taurinum à Tauro Massiliensium, cuius gentis colonia sit, insigni dictum, author est. Ut cumque tamē haec se habeant, priscis temporibus nobilem urbem fuisse vel hinc intelligere licet, quod colonia Romanorum erat. Iacet ad montium radices, forma quadrata, cum portis quatuor nobilitate ciuium maximè clara, splendidis autē adficijs ornata, inter quæ summum templum. Gymnasium habet omnium disciplinarum, mirificeque rebus omnibus ad usum vita necessarijs & utilibus abundat. Agro est perbono & fertili, maximè vero versus Orientem & Austrum cum vallibus ferri copia fœcundis. Ab hac urbe nauigabilis infra Padus, supra paulò fluminis Sangoni confluens est. Ad colles dein Riuoli oppidū est frequentissimum. Ulterius ad collem Aniliana perlautum & opulentum castrum est. Rursus iuxta Padunum post Sangoni ostium est Carrinianū. Altius inter Riuulos & Aulianam splendidum cœnobium est D. Antonij Rauæfini, & ulterius in valle ad D. Ambrosium. Sunt in ea valle pagi aliquot, moxque Susa iuxta montis Cinisij radices, quam Plinius noua regione Segusium vocat. Supra Susam Alpes gemina via patet in Galliam, una quæ ad dextram in Sabaudiam, altera quæ ad laevam Gratianopolim dicit. Prima circa principium ascensus montis Cinisij Noualesiam habet, medioque iugū Ferrariam, & altius prope montis cacumen lacum aquæ puræ flumen Cinisium effundentem, qui per altissimas rupes præcipitans prope Noualesiam, & post in Duriam fluit. Circa principium huius amnis Setiona cum Ecclesiola. Rursus ad Padum sexto à Sagoni ostijs lade Pinariolum nobile ac opulentum oppidum est, cum cœnobio sumptuoso. Supra cernitur petrosa, laevaque fontis Sanigoni, Pagellatum, & Aricanassa, dextra mons Bobius, deinde Pado, Pelix amnis Clusonem deferens illabitur, inter Pancalerum & villam Francam admodum frequens, opulentum, lautumque oppidum. Pancalerum,

inquit Blondus, Augsti, stirpis antiquæ Ligurum Taurinorum fuit, iuxta quod nauigabilis Padus, ut Plinius ait. Haec Blondus. Quoniam Pancaleni nomen apud Plinium haud reperiri putem: sed Augustam Taurinorum antiqua Ligurum stirpe diserte nominat, indeque nauigabilem Padum addit, quod eum de Taurino intelligere planè puto. Apud villam Francam ponte transitus Padi iungitur. Sequitur ad Padi fontem versus Ripellum, & Paisana: tum ulterius Critium, mox Mambrinum oppidū ad capitis Padi dextram, ubi planities quædam incipit amœna vallis Padi dicta, vel ut Incolæ vocant Liuerna, nimirum ab oppido quod habet Liuerna. Procurrit in longum millia 30. latitudinis ad summum 4. passuum. In aditu eius Orientali capite Mambrinum est, in exitus fine, versus Occidentem Crux lapidea præcessa est. Regio in vniuersum amœna, mōtibus vallibusque modò eleuata, modò depressa, vrbibus, oppidis, pagisque per honestis nitet. Agros habet amœnis fructiferisque collibus plenos, qui frumentum aliasque fruges, & optima vina, cum nobilissimis fructibus producunt. Fluminibus nonnullis rigatur nobilibus, quorum primum est Padus, qui & fontes suos hic habet, iuxta Paisanam vna cum Druenza flu. qui Galliam petit, unde rithmus Italicus quo Visi siue Vesuli montis accolæ dicere solent. Qui principia Po & Druenzæ, uno vno nella Italia, el altero in Prouenza pede ripa dextra, à fontibus ad ostia eius descendendo inferuntur, Vra, Maira, Grana flu. Tanerus verò Sturam, Gerezam, Pexam, Ellum, Dorbam, Tionem, Bebbonem, Borgiam, Borriam, Vrbam, Lentorem vna secū defert Copa, altera Pellem, Chisoné, Chisolam, Sangonam, Duriam, Gerondam, Sturamque, Malonem, Ociame, Chinsellam, Dorrobanum, Nauilionem, Saxiam cum Seruo Aurenio, Elno Lampoque amnes recipit. Montium in eius nominatisimi sunt Alpes, Cœtiæ, Graiaeque, mons Cinisius, mons Vesulus, & nonnulli alijs suis recentibus, ab incolis, nominibus dicti, collis Tenda, collis Argéta &c. Sylvas in hoc tractu nullas memorant authores. Nec minærarum fodinas recensent, exceptis Ferrarijs quas suprà diximus in vallibus iuxta Taurinum existere, & ad Paisanam prope Padi fontes nobilium marmororum lapidicinæ sunt. Thermas quoque nonnullas hic celebrant scriptores. Fines Taurinorum Leander Albertus, ex quo haec pleraque desumpta sunt, ponit ab Oriente Padum, à Meridie Ligurum Alpes, ab Occidente Galliæ Alpes, à Septentrione Duriam ripariam. Incipit ab Occidente sub gradibus longitud. 28. minut. 28. ubi Padi fontes: desinque in Oriente sub longitudine gradib. 30. minut. 2. ubi Valenza ciuitas. A Meridie initium sumit sub latitud. graduum 43. minut. 16. ubi Camerana ciuitas. Et in Septentrionem extenditur ad latitudinem graduum 44. minut. 8. ubi D. Martini pons. Subiacet itaque circiter medium sexti climatis, qui est parallelus per Massiliam transiens, numero 14. ubi dies artificialis prolixior horarum 15<sup>1</sup>. Continet verò in longitudine, hoc est, ab Occidente in Orientem milliaria Germanica 17<sup>1</sup>. seu Italica 70. In latitudine verò Germanica 13<sup>1</sup>. seu Italcorum 53.